

Skua 125 et 126 quod attinet, certior sum de earum differentia specifica, nam Feroæ satis frequens est 125 et sæpius vidi plura ejus specimina, variis temporibus Hafniam missa, nunquam vero Skua 126 visa fuit antequam per amicum Dn. Hansen è Cimbria, ut avis Cimbris ignota, innotuit. Viva capiebatur manibus itinere quasi fessa. Prædium ubi capiebatur ad mare germanicum jacet, hinc puto eam forte ex Anglia advenam fuisse. Character distinctivus hujus, magnitudinem si exceperis, difficillime determinabatur.

Colymbus arcticus et torquatus magnitudine corporis et dorso rostri arcuato conveniunt, ætatis vix differentia, potius varietates sexus, nisi foeminam ab omnibus mihi visis differentem describeret Fauna Svecica. Colymbi 129—132 dorso rostri recto conveniunt, ex his Imber nunquam in Dania vel ad insulam Christiansøe visus fuit, sed et è Feroa et è Norvegia aliquoties missus; nec ubique in Norvegia obvius, sed maxime in parte boreali, ubi tamen haud frequens est. Magnitudine arcticum et torquatum superat: Hi omnibus vero minores sunt. Lumme avis arctica frequentissima, ad Hafniam semel tempore hiemali occisa; ad insulam Christiansøe nunquam visa (: nec arcticus, torquatus et Imber). Ibi verò frequens satis occurrit Stellatus, circa insulam nostram quoque interdum obvius. Forsan ætate hic differt à Lumme qui, ætate magis provecta, plagam forte amet septentrionalem et sic nostra deserat littora? Borealem heic unica vice occisum, ob vestigia rufi coloris in prona colli parte varietatem habeo Colymbi Lumme. Certiora heic forent optanda, antequam rite determinarentur species. Si quem horum colymborum possidere cupias, operam dabo eum acquirere. Appendicem ornithologiæ simul offero. Nuperrime è Groenlandia mittebatur colymbi grylle varietas, tota alba exceptis marginibus alarum nigris.

Omnia Tibi cum Comite oblata Insecta è littoribus Africanis Hispaniam spectantibus allata fuisse perhibuit vir quidam nobilis, qui ipse circa ista littora eis fuit donatus, interim ferè omnia vidi huc transmissa etiam ex America. Acarus solus patriam agnoscebat insulam Christiansøe. Ex meis